Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26373
Copyright: Admont, Benediktinerstift



emendando composui. quia et cum postrema dictarem.
quo stilo prima dixeram sollicite attendi. ut ea que
locutus sum studiosa emendatione transcurrens.
quasi ad similitudinem dictatus erigerem. et ea que
dictaueram non longe a colloquentis sermone discre-
parent. quatenus dum hoc tenditur illud attrahitur. edita
modo dissimili. res non dissimilis formaretur. quamuis tertiam
huius operis partem. ut colloquendo protuli. pene ita dereliqui.
quia cum me fratres ad alia pertrahunt. hanc suptilius emen-
dari noluerunt. Quibus nimirum multa iubentibus dum
parere modo per expositionis misterium. modo per contem
plationis ascensum. modo per moralitatis instrumen-
tum uolui. hoc opus per triginta et quinque uolumi
na extensum. in sex codicibus expleui. unde et in eo sepe
quasi post ponere ordinem expositionis inuenior: et
paulo diutius contemplationis latitudini ac moralita
tis insudo. Si tamen quisquis de deo loquitur. curet ne-
cesse est. ut quicquid audientium mores instruit rimetur.
et hunc rectum loquendi ordinem deputet. si cum
oportunitas edificationis exigit. ab eo se quod loqui
ceperat. utiliter deriuet. Sacri enim tractator eloquii.
morem fluminis debet imitari, fluuius quippe dum